



17061

I

Mag. St. Dr.


P

*Kosmicki Jęh Repostia Jreita
bilo D. Joanno Ternicki.*

PANEG. et VITAE

Polon.

M. 686.



RE POTIA XX 163

Spectabili Domino

IOANNI PERNICKI

CONSVLI VIELICIENSI STIGARIO

Zuparum.

Dum

Lectissimam Matronam REGINAM

SLAWECKA Coniugem suam charis:

Ab officiosissimis Nymphagogis, &

hospitibus clarissimis, Domum suam dedu-

ctam humanissimè exciperet, in

Apollinis & Musarum choro.

Per Sebastianum Kossucki Art. & Philos: Bac: Scholæ

Vielicianæ Seniore, honoris & perpetuæ

observantiæ ergò celebrata.

C R A C O V I Æ, B3.

In Officina Typographica Francisci Cæsarij,

Anno Domini 1634.

107.

PLVT ARCHVS IN CON-
iugalibus præceptis.

LVnam videmus cum longè à Sole distat, illustrem esse ac lucidam, obscuram autem cum ei appropinquat: contra pudica mulier, maximè cerni debet cum suo marito, eo autem absente, domi se continere, & abscondi. Non verò rectè est ab Herodoto dictum, simul cum tunica mulierem verecundiam exuere, quæ enim casta est, posita veste, verecundiam eius loco induit, maximaq; verecundia Coniuges tessera maximi inuicem amoris vtuntur.



1706 I

Clarif-

Clarissimis Hospitibus

Literarum Patronis amplissimis,

Et

Spectabili D. Pernicki

Author S. P.

*Præsto cum hospitibus Apolline & meis Musis
Adsum nouis, nouus hospes hospites inter,
Nouarum auspiciam nuptiarum adaucturus :
Noli spernere fauentium Camenarum
Chorum, tuum qui & hospitum decus adauget
Quin adiuuate liberaliori ausus
Generosiores dexterâ fauentes ô
Patroni, & ô præsidium, animosiorisq;
Genij decus; Patriæ bonæ fouent Musæ
Nam ornamen, excelsasq; diuitias vestre
Adeste cuncti hilares mihiq; fauetote.*

ΠΡΟΣΦΘΗΝΗΣΙΣ

Ad Apollinem & Musas.

O Phæbe Parnassi decus adesto ocyus ;
MVS Æ, propago Iouis adeste protinus ;
Et vos CHARITES adeste propensissimæ,
Et vos adeste GRATIÆ gratissimæ,
Mei & Parentis Nuptias charissimi
Cantu celebrate amæniori : & alteram
Meam parentem, gratiâ gratissimam,
Pietate, moribus, decoram fæminam.

Adeste MVS Æ, adeste suaves GRATIÆ,
Dei ministræ doctæ, in idq; conditæ
Humano vt vsq; seruiatis vsui :
Vestrum est disertis hunc, & hanc, encomijs,
Ornare, quos, qui cuncta Deus introspectit
Ratione certâ, & qui gubernat omnia
Solutus beatus, integer, Sapiens, bonus,
Constrinxit indissociabilibus vinculis.

O Phæbe Parnassi decus adesto ocyus
En ille tuis artibus alumnus intime
Nutritus, institutus, inde à paruulis
Secutus nimium tesqua suaueolentia
Qua garrientes fons disertus riuulos
Effundit, & propinat eloquentiam,
Doctus tibi cantare suaui carmine,

Naturæ

Naturæ genium non penitus improuidum
Sequens coniugio Coniugem alteram accipit.

O Phæbe Parnassi decus adesto ocyus,
Iam confluunt Ciues Veliciensium
Terræ incolentes vterum latebris obfitum
Altissimis, industriâ, laboreq;
Mirabili, has vt Nuptias præsentia
Per vota celebrent; iam puellarum chorus
Dulcibus ingeminat dulce cantibus melos
Hic ergo Phæbe tua filebunt barbata?
Tuus alumnus laudibus dignissimus
Matrona tuis laudibus & est, dignissima.

*Filius obsequentissimus
Sigmundus Pernicki.*

A P O L L O.

Præsto vocatus adsum & ecce concino,
Tuum Iuuenis ad arbitrium bellissimè,
Optata vota, fausta nimium & omina,
Dulci ut parens cum coniuge fauentissima
Annos exigit, his meritis, mellitissimos
Illi quæ peperit indoles promptissima,
Et candor, & pietas, boniq; publici
Cupido, iusti mensq; studiosissima,
Dolisq; conscientia malis inuia.

Ergo viue Ioannes decus & ô Ciuium
Veliciensium columen optabile,
O viue ciuibus tuis ad gloriam,
Deiq; ad honorem viue longè amplissimum,

Tibiq; ad ornamentum hinc preciosissimum.
Fauetæ Musæ dulcis ô Soboles Iouis,
Meisq; votis iungite vestra carmina.

Michael Frynski.

C A L L I O P E.

Fælix Coniugium probum, fidele,
Quod morum similis probauit ardor
Ætas quod Sociauit, atq; Virtus
Inculpata fatis, probata semper:
Non hoc mæror atrox dolore torquet,
Non hoc sollicitus fatigat æstus,
Non hoc frigidus asperat fufurris
Astus, non rabidæ sagitta linguæ
Non trux insidiis Cupido prensat,
Non formæ fucus imperitioris,
Non nummi Species regit proterua:
Sed Candoris amor fidesq; nuda
Et Pax, & pietas, fauorq; adornat.

Fælices ter & amplius beati
Estis, Sponse bone, & pudica Sponsa,
Quos Candor, pietas, Fidesq; Paxq;
Et morum sociauit ardor almus,
Naturæq; bonæ indoles serena,
Annos viuite iam beatiores.

Stanislaus Gibalski.

T E R P S I C H O R E.

Et merito: quis enim nisi demens gaudia iustis
Auocet â Choreis.

Ite Vir

Ite Viri, Iuuenes, Matronæ atq; ite Puellæ
Conscia turba simul.
Ter pulsate solum (numero Deus impare gaudet)
Ter reparate choros.
Inde cibo recreateq; prouida viscera vino,
Vinum animos recreat.
Vino prompta Salus, Vino producitur ætas,
Sit mediocre tamen.
Consilium solidum est, nec dilige, nec fuge Vinum,
Hoc nimium, hoc modicum.
Alternis insiste iocis, alterna Camænæ,
Phæbus amatq; bonus.
Pone supercilium, rigidum nec fronte Catonem,
Nec simula Curium.
Triste rigor nimium Heracliti despue mores,
Candida sit tibi mens.
Qui tenerum, facilem suadam formabit ad vsum,
Ingeniosus erit.
Iuppiter ætherea non semper fulminat arce,
Nectare sæpe rubet.
Ergo procul simulata Cohors, procul este prophani,
Sacra cano Veneri
Tempus habet grauitas certum spetiosa, quid ergo ?
Hic iocus, atq; Venus.
Casta Venus, castusq; locus sint omnia casta,
Casta placent Superis.
Hanc Venerem, atq; locum sequitur Regina pudica,
PERNICIVSque meus.

Ioannes Frynski.

C L I O.

Quot cælum facibus micat serenum
 Quot Ver arboribus comas refundit
 Quot tellus Zephyro soluta flores,
 Et quot Vandalus æstuat procellis
 Cum nascens pluuias reportat hædus,
 Quot sunt millia prompta basiorum,
 Quæ dari sibi postulat Catullus,
 Et quot sunt atomi Lucretianæ
 Tot menses bone PERNICI, tot annos
 Vivas sanus, & integer beatus
 Nec vultum viduas serenitate.

Christophorus Dambrowski.

T H A L I A.

O casti Comites chori
 Summi progenies Iouis,
 Quæ spiratis amabilem
 Rorem mentibus intimis
 Lætum pergite, pergite,
 Mecum dicere carmen.
 Vestrum delitium, & decus,
 O & præsidium bonum,
 Dium non sine Numine,
 Fausto nonq; sine omine,
 Rursus Sponsus amabilem
 Sponsam fædere iungit.
 At vos plaudite, plaudite,

Votis,

Votis, & pia iungite,
Ultrò vota fauentibus
Mecum, dicite, dicite,
O REGINA pudentior
Longum viue IOANNI.

Ioannes Kolatowicz.

M E L P O M E N E.

Iam tandem Sociam alteram laborum
Curarum Comitem, tuæq; vitæ
Solamen, merito, atq; iure prendis
PERNICI optime, laus decusq; nostrum.
Quid restat nisi vt auguremur istas
Fælices fore Nuptias secundas
Nobis, atq; tibi, & bonis amicis,
Victurumq; animo, esse te quieto
Qui vixti amplius annis quam duobus,
Parte & dimidiâ tui careres:
Quot iam lustra Deo fauente viues
Postquam dimidium tui recepisti?

Andreas Baricki

E V T E R P E.

PERNICI viues meliore fato
Coniugem si non lachrymis priorem
(Hæc licet mentis fuerit pudicæ, &
Corpore casto)
Fleueris, qui connubiale fædus,
Deligit fælix caret exoleti,

B

Sordibus

Sordibus lecti, caret & pudendo
Tutus amore.
Qui tibi rebus Deus ante in arctis
Adfuit, nauis moderator idem
Nunc tuo vento repleat secundo
Turgida vela.

Ioannes Widanek.

E R A T O.

Cui pulso Cytharam leuem
Cui pulso refonis interea modis,
Certe non alius meum
Curis æque animum dulcibus occupet.
Quam qui Coniugij Comes
Quam qui pacificis viuit amoribus.
O te dulce decus meum
PERNICI Charites condecorent bonæ
Exornent lepidis thorum
Sertis & repleant intimè odoribus
Increfcâtq; nouis Domus
Ingens pignoribus, quæ celebrent Deum
Et vobis genitoribus
Præstent obsequium, presidium, decus
Sic demum egregij Senes
Exemplo teneris este nepotibus.

Nicolaus Garbonski.

P O L Y C H I M N I A.

Quamuis ipse Diespiter

Crebris

Crebris fulminibus polum
Excelsum quatiat tamen
Nullis vera tonitribus
Coniunx coniuge ab intimo
Non & morte remigrat?

Quamuis forte proteruior
Fortuna insinuet pedem,
Quamuis blandula rideat
Nec fluxam faciem mutet
Semper vir fidei memor
Cordi masculino inhæret.

Non hunc præcipiti rotat
Fallax casus in impetu,
Non tristes hyadas timet
Non & monstra natantia
Non Ponti Acroceraunia
Nam candor sibi cordi est.

Sponsam sospitat optima
Lætona, & cohibens leui
Arcu Cynthia belluas;
Sponsum Phæbus amabilis
Lustrat lumine conscio, &
Seros firmat in annos.

Hæc vos confociat Fides
O dulces animæ simul
Lati viuite, viuite
Vestri & Coniugij, bona
Tandem Symbola promite,
Ut vestri maneat pars.

V R A N I E.

Vltima ego, sed ego, non vltima vota refundo,
Quam quæ Sydereus fertq; canitq; chorus.
Sydera habent Charitesq; suas, Musasq; , chorosq;
Hic vobis Phæbus talia vota canit:
Viuite fælices opibus, pietate, pudicis
Moribus, ingenio, pignoribusq; thori
Andreas Iazwiecki.

Hospitibus letissimis

Amor fugitiuus, per Politianum è Græco
Moschi lib. 7. Epist. in Latinum
translatus.

*Cum Venus intento natum clamore vocaret
Si quisquam in triviis errantem vidit amorem
Hic fugitiuus, ait, meus est, precium feret index
Baziolum Veneris: quod si ad me duxeris illum
Non tantum dabo baziolum, plus hospes habebis.
Insignis puer est, en omnia percipe signa,
Non est candidulus, verum ignem imitatur, ocelli
Acres, flammeoli, mala mens, suauissima verba.
Quod loquitur, non sentit idem, vox mellea, sed cum
Ira inflammat, tum mens est aspera, fallax,
Fraudator, mendax, ludit crudele puellus
Crispulus est illi vertex faciesq; proterua*

Exiguaq; manus, procul autem spicula torquet,
Torquet in umbriferumq; Acheronta & regna silentii.
Membra quidem nudus, mentem velatus, auisq;
More quatit pinnas, & nunc hos, nunc petit illos,
Sepe viri pressans precordia, sepe puella.
Arcum habet exiguum, sed & arcu imposta sagitta est:
Parua sagitta quidem, sed celum fertur ad usq;
Parua pharetra olli dependet & aurea tergo.
Sunt & amari intus calami, quibus ille proteruis
Me quoq; sepe ferit matrem, sunt omnia seua.
Omnia seq; ipsum, multo quoq; seuius angit.
Paruula fax olli, solem tamen urit & ipsum.
Verbere si prouides, age, ne miserare puellum:
Si flentem aspicias, mox ne fallare caueto.
Sin arridebit, magis attrahere: basia si fors
Ferre volet, fuge tu sunt noxia basia in ipsis
Multa venena labris: si fors ita dixerit: heus tu
Accipe, nempe tibi cuncta, haec mea largior arma:
Ne continge, caue, fallacia munera amoris
Omnia quippe igni sunt infecta illius arma.



SIMON SIMONIDES

Tak przełożył w Sielance wtorey.

S Olata po vlicach Cupida z bieglego
Piekna Venus: widzial kto kedy chlopca mego/
Wciel mi kto mi oniem powie vdaruie ?
Kto oniem powie tego Venus pocatuie.
A kto mi go przywiedzie / nie tylko calowac
Ale go moze Venus czym lepszym czestowac.
Znacznijest / rozeznaß go / miedzy stem nie biały
Ale iakoby sloncem wßystek przepalaly.
Oczki ostre / ogniaste / zla mysl / sladkie slowa /
Inße na sercu nosi / inße mowi mowa.
Slovakia iego miód / ale zle serce / gniewliwe
Nieublagane / gdy sie zwasni / y zdradliwe.
Nle prawdy / chytre chlopie / smiecie sie y dasa /
Igra / y niesolguie / zartuie / y kasa.
Wloski ma kędziorzawe / y poglada smiele /
Twarzyczka vporniuchna / a wstydu niewiele.
Keczniiki ma krociuchne : lecz niemi seroko
Zasiaga / y pod ziemie przenika gleboko.
Nagie y gole cialko : ale mysl kudlata
Strzydellami iako ptak / to tam to sam lata.
Do Panien / do Otrokow : a na sercach siada
Luczek ma / a na luczek strzaleczke przyklada.
Strzalka iego maluchna / lecz cieciwa tega /
Kiedy strzeli y nieba samego dosiega


Sayda

Saydaczek złoty / á wniem strzałki gesto tkáne :
Ktoremi y mnie samey nie raz zádal ráne.
Wszystko iad / wszystko žádlo. Naigorsza vnięgo
Maluchna pochodniczká / ktora y samego
Phebusá nie raz páli. Jeslić sie do reki
Dostanie / wiedz / niefolguy / y prowadz przez dzieki :
Jesliby plákal / strzeż sie / plącz ięgo fałszywy :
Smialliby sie / wiedz przecie / y smiech nie prawdziwy.
Chćialliby ćie cálowác / nie day sie / bo zdrády
Pełno w tym / y nagorsze wusciech ięgo iády.
Mowilliby / cołowiek broni mam przy sobie
Pobierz odemnie / á ia to dáruię tobie :
Niebierz / áni sie tykay ; nie pewne vnięgo
Opominki / y pełen ognia škodliwego.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



M. James Cieski Raktamovius Excellens, P. D.
D. Lucie Piotrowicz Litwa et Puc
Sout. Zwess. Nowodwor. Linnæ mlu.


Biblioteka Jagiellońska



stdr0016943

